Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Cap. X.

iugiter inspiciunt. SEQUITUR. Cap. X.
Erant autem achab lxx filii in samaria. Scripsit
autem ieu litteras. et misit in samariam ad optimates
ciuitatis. et ad maiores natu. et ad nutricios achab dicens.
Statim ut acceptis litteras has. qui habetis filios domini
uestri. et currus. et equos. et ciuitates firmas. et arma. eli
gite meliorem. et eum qui uobis placuerit. de filiis domini uestri
ponite super solium patris sui. et pugnate pro domo domini
uestri. Timuerunt illi uehementer. et dixerunt. Ecce
duo reges non potuerunt stare coram eo. quomodo nos ua
lebimus resistere. Miserunt ergo prepositus domus. et prefectus
ciuitatis. et maiores natu. et nutricii ad ieu dicentes.
Serui tui sumus. Quecumque iusseris faciemus. nec constitue
mus regem. Quecumque tibi placet fac. Rescripsit autem
eis litteras secundo dicens. Si mei estis et obedietis mihi.
tollite capita filiorum domini uestri. et uenite ad me hac ea
dem hora cras in iezrahel. Porro filii regis lxx uiri
apud optimates ciuitatis nutriebantur. Cumque uenis
sent littere ad eos. tulerunt omnes filios regis. et occi
derunt lxx uiros. et posuerunt capita eorum in
cophinis. et miserunt ad eum in iezrahel. Uenit autem
nuntius. et indicauit ei dicens. Attulerunt capi
ta filiorum regis. Qui respondit. Ponite eos ad duos
aceruos. iuxta introitum porte usque mane. Cumque
diluxisset egressus est. et stans dixit ad omnem populum.
Iusti estis. Si ego coniuraui contra dominum meum et in
terfeci eum. quis percussit omnes hos. Uidete ergo nunc. quoniam
non cecidit de sermonibus domini in terram quos locutus
est dominus super domum achab. et dominus fecit quod locutus
est in manu serui sui helie. Percussit ergo ieu omnes qui
reliqui erant de domo achab in iezrahel. et uniuer
sos optimates eius et notos. et sacerdotes. donec non
remanerent ex eo reliquie. Et surrexit. et uenit
in samariam. Cumque uenisset ad cameram pastorum in
uia. inuenit fratres ahazie regis iude. Dixitque ad eos.
Qui nam estis uos. At illi responderunt. Fratres ahazie
sumus. et descendimus ad salutandos filios regis et
filias regine. Qui ait. Comprehendite eos uiuos.
Quos cum comprehendissent uiuos. iugulauerunt eos
in cisterna iuxta cameram. xl duos uiros. et non
reliquit ex eis QUEMQUAM. etc.

In exordio huius lectionis. ieu typum doctorum
tenere diximus. quem typum nunc prosequentes.
quid agat iste ieu uideamus. Achab lxx filios
habet in samaria. cum populus iudaicus. multos
emulatores legis habet. in decalogi obseruan
tia. et sabbati custodia. Septuaginta enim ex vii et x
multiplicantur. et septenario numero sabbatis
mus. denario decalogus figuratur. Ieu litteras
scribit. cum ordo doctorum sancte ecclesie predicationis
sue sermones. in iudicio et iusticia disponit.
Litteras scribit. cum calamum cordis sui uel oris.
in sanguine redemptoris intinguit. quo omnem
sue predicationis seriem imbuit. Ieu litteras in
samariam mittit. cum ordo doctorum sue predicationis
doctrinam quandoque ad synagogam transmittit.
Ad optimates ciuitatis mittit. cum sacerdotes iu
deorum conuenit. Ad maiores natu mittit. cum
phariseis consilium salutis ingerit. Ad nutricios
achab mittit. cum scribis doctoribus populi iudaici.
ueram legis scientiam proponit. Statim inquit ut ac
ceptis litteras has. qui habetis filios domini uestri
et currus. et equos. et ciuitates firmas. et arma. eli
gite meliorem. et eum qui uobis placuerit de filiis domini
uestri. ponite super solium patris sui. et pugnate
pro domo domini uestri. Sancta scriptura est sapiens the
cuntes illa. que figuras sermonum mirabiliter in
uenit. dum sub hystoria rei geste. telam prophetie
mirabiliter intexit. Statim inquit ut accepistis
has litteras. scilicet cum predicationem euangelii. per
gratiam spiritus sancti recepistis. qui filios domini uestri ha
betis. qui populo iudaico doctores presidetis. Qui
currus legalium cerimoniarum habetis. qui equos
moysaice institutionis sedetis. qui ciuitates
firmas legis et prophetarum tenetis. qui arma sci
entie geritis. Eligite meliorem. moyse scilicet illo
uero. in quo uos confiditis prestantiorem et sanctiorem
omnem. christum dominum uestrum et totius mundi redempto
rem. Et eum qui uobis placuerit de filiis domini uestri.
quia tamen uobis ualde ille complacebit. cum eum